



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. III. Confessum se coram hominibus, quis fuerit, & præterita mala sua,  
ut infirmi excitentur ad spem misericordiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non à me tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audis à me, quod non prius mihi tu dixeris.

## N O T Æ.

a *Te enim mihi absconderem, non me tibi) qui peccata sua Deo occultare conatur, intellectum suum obscurat, ne Deum cognoscere, & gratia ejus illustrari possit, quare sibi Deum, non se Deo abscondit.*

## V S V S.

Solidæ humilitatis principium hoc est; *in malis sibi displicere tanquam suis, in bonis Deo gratias agere, tanquam alienis quia ab ipso est omne bonum nostrum. Valdeque cavendum est, ne qui in virtute proficit, sibi de profectu vane placeat.*

## C A P. III.

*Confessum se coram hominibus, quis fuerit, & præterita mala sua, ut infirmi excitentur ad spem misericordiæ.*

1. a **Q**uid mihi ergo est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire, qui sim, qui nolunt à te audire, qui sint? Et unde sciunt, cum à meipso de meipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit *hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Si autem à te audiant de seipsis, non poterunt dicere: mentitur domi-

1 Cor. 2,  
11.

minus. Quid est enim à te audire de se, nisi cognoscere se? Quis porro cognoscit, & dicit: falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed quia  
 1 Cor. 13. *caritas omnia credit*, inter eos utique, quos  
 7. connexos sibimet unum facit, ego quoque Domine etiam sic tibi confiteor: ut audiant homines, quibus demonstrare non possum, an vera confitear: sed credunt mihi, quorum mihi aures caritas aperit.

2. Veruntamen tu medice meus intime, quo fructu ista faciam, eliqua mihi. Nam confessiones præteritorum malorum meorum, quæ remisisti & texisti, ut beares me in te, mutans animam meam fide & sacramento tuo: cum leguntur & audiuntur, excitant cor, ne dormiat in desperatione, & dicat, non possum: sed evigilet in amore misericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. Et delectat bonos audire præterita mala eorum, qui jam carent eis: nec ideo delectat, quia mala sunt, sed quia fuerunt, & non sunt.

3. Quo itaque fructu Domine Deus meus, cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiæ tuæ securior, quam innocentia sua, quo fructu quæso, etiam hominibus coram te confiteor per has literas, adhuc quis ego sim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi, & commemoravi. Sed quis adhuc sim, ecce in ipso tempore confessionum mearum, & multi hoc nosse cupiunt, qui me noverunt, & non me noverunt: qui ex me, vel de me aliquid audierunt, sed auris eorum, non ad cor meum, ubi ego sum, quicumque sum. Volunt ergo audi-

audi-

audire confitentem me, quid ipse intus sim, quo nec oculum, nec aurem, nec mentem possunt intendere, credituri tamen volunt, nunquid cognituri? Dicit enim eis caritas, qua boni sunt, non mentiri me de me confitentem, & ipsa in eis credit mihi.

## N O T Æ.

2. *Quid mihi ergo est cum hominibus &c.*) hæc verba citat Brentius in Confessione Wirtebergenfi, contra Confessionem Sacramentalem Catholicorum, quasi senserit S. D. per eam non posse sanari languores peccatorum. Sed hoc est simplicibus imponere, non enim loquitur S. D. in his libris, ut omnes norunt, de Confessione peccatorum post baptismum commissorum, quæ necessaria est ad salutem, secundum veram & Catholicam ipsius Augustini sententiam, sed de Confessione voluntaria peccatorum, quæ ante Baptismum commissa, & per illum dimissa sunt. Hanc S. D. confessionem publice fecit in his libris, ut infirmi suo exemplo excitarentur ad spem misericordiæ. Quod si quasdam culpas post baptismum à se patrari solitas recenset, eæ levissimæ sunt & veniales: quibus expiandis etsi Sacramentum Confessionis conducatur, non est tamen necessarium.

## V S V S.

1. Est caritatis Christianæ, non facile suspicari subesse falsum dictis aliorum, quos semper præstat æstimare bonos esse, adeoque & veraces, quam malos & mendaces. Plus enim placet Deo pia credulitas, quam proferat temeraria de aliis suspicio.
2. Qui gravibus peccatis obnoxii sunt, aut magnam in superandis vitiis difficultatem sentiunt, legant Confessiones Augustini, & cognitis gravissimis ejus peccatis, in quibus ab ipsa pueritia usque ad trigesimum annum pertinaciter hæsit, concipiant & ipsi spem veniæ. Nec dicant non possum, potuit Augustinus cum divina gratia, poteris & tu, modo intelligas, te non posse per te.

C A P.